

Acclamatio votiva festiva  
inaugurationi episcopali  
... dn. m. Samuelis  
Enan...

*1 Ic 1655 Enander, Samuel Nicolai*



National Library  
of Sweden

Acclamatio Votiva

25

Festivæ Inaugurationi Episcopali

*Admodum Reverendi atq; Gravissimi Viri,*

**DN. M. SAMUELIS  
ENANDRI,**

**Amplissimæ Lincopensis Dioe-  
cesios Episcopi longè Dignissimi:**

*In Venerationem rare Virtutis eius, officioso animi cultu &  
Studioso obsequio; Gratia quin etiam ac promotionis ob-  
tentu à Ostro-Gothis, Regia Academia A-  
boënsis Civibus properata.*



**A B O Æ**

Impressa à PETRO Hanson/ Acad. Typog.

25

Junii 1655



1655



**P**ræsule non poterit formari Ecclesia dignè;  
Ni regat antè domos, instituatq; Scholas.  
Parit utramq; Tibi, Mysta, hanc, Dignissime  
Spartam.

Census virtutis, quo cluis Ipse gravi.  
Pulverulenta Scholæ cū liqueris, Austro Copinos  
Divâ collustras irradiasq; face,  
Murmura Castrorum Germanica dêinde secuti  
Infula Teutonibus conspicienda fuit,  
Ut redis, optatam defert Calmarnia Sedem;  
Paret & imperio turba Sacrata Tuo,  
Tandem Lincopiam quia rura in avita redisti,  
Promere quid calido pectore cesso preces?  
Omnipotens faxit Pylios Te vivere in annos,  
Et sero veniat tarda Senecta pede!  
Sydere felici cingat Tibi mitra capillos,  
Auspicioq; pio cætera cuncta fluant!

MAGNUS PETREIUS



# SAMUEL ENANDER

*Per Anagr.*

## REN DELES VANAM?

**T***Oxica lenta petunt imos subeuntq; recessus,*

*Dulcibus ut Circes pocula mista dolis.*

*Pharmaca qui nescit toti exitialia Mundo,*

*Inspiciat mores discutiataq; feros.*

*At Tu Lincopia venisti Praesul ENANDER:*

*Innutrite bonis artibus atque pijs.*

*Ad vivum refecas aliena, herbasq; nocentes*

*Qua vitam ES mores ipse necas monitor.*

*Haud alius sane poterit contendere Tecum.*

*Vel pietate gravi, vel gravitate pia.*

**REN** es, qui **DELES** Zizania, sentibus arva.

*Expurgas? VANAM nec finis esse fidem?*

*Omen tale Tuum, quod habes, Tete inferet astris,*

*Aethera per celsum perpetuoq; vehet.*

LAURENTIUS SIGGONIUS.

A 2

Magi.

Magister Samuel Enander E-  
piscopus Lincopenfis

*ἀναγρὰ ματαζόμεν*

Metas regis: Dena dies mune-  
ra in coelis. Sine spe?

Scopos Scopuli.

**I**ntonfis Scythico cautibus in Solo  
Damam Capreolus devia & avia  
Quærens fervidulo pectore, stridulis  
Sylvas questibus ac æthera vocibus  
Implet: Compos amoris salit impiger.  
Cervus quarit aquas ecce boatibus,  
Pestem in frigerium sicubi toxicam  
Sumit, bestiolas viperam & aspidem,  
Infames hominum cladibus! Acre sed  
Errans lymphæ aconitum necat, Undiq;  
Hortos prævirides torrida marcidos  
Vexat temperies: Blandicula rosæ  
Undis irriguæ frigidioribus

Rident,

Rident. Sed Gotbico gaudia pulvere  
Ortivis vapido Solis ab æstibus  
Te Dignum & celebrem non tria Præsulem  
Expectant, Etenim Ecclesia plantibus,  
Votis & Schola desiderat indices  
Retricesq; manus tramite in arduo.  
Infidas salebras rupibus obruis,  
Divini ò columen luminis & decus  
Præclarum Patriæ! Lubricies levis  
Plantas instabiles sistet & aspera  
Saxorum juga vestigia perferent,  
Tu metas, Helices instar amabilis  
Sevis naviculæ fluctibus obruta  
Servas Christicolūm, flucti vagas regis.  
Verūm dena dies munera conferet  
In coelis. Sine spe <sup>num</sup> subeas onus?  
Ponit lenta Scopos Diva laboribus;  
Sacratī Scopuli prospera perpetim  
Et tranquilla dabunt portubus obvīs.

ALIUD  
Samuel Enander

*ἀναγρὰ μνηστικῶς*

Levan Serendam;

è Jambis Meris.

**J**ubar minantis igne fulgido

Tepere Cynthij ut rigens

Agellus incipit, frementeq;

Nivalis aquore algido

Fluenti ab impetu horrido; gelu

Coquente marcido solum:

Ferace glebâ aratur. Insolens

Per otium jugi gemit,

Remugiente, taurus, advenâ

Feris tumente pâscuis.

Sed imbre tecta constrepente, dâm

Egens larem laboribus

Domi fatigat, expavet famem.

En Archimysta messibus

Graves

*Graves diu Gothos! Retorridum*

*Ares arator id solum,*

*Socer scientiaq; corculum*

*Loquentiaq; svadula*

*Remessuit quod atheri; ferens*

*Jovi Deo calentia*

*Ovante liba peElore. Herbida*

*Seges sed ecce judicem*

*Velit, colenda quo modo hispida S*

*Aqvanda terra qui sciat!*

*~~Es ipse pr asul inchtus: fides,~~*

*Vetus rigor, scientia*

*Nitent ab undiq;. Interim **Levan'***

*Arantibusq; pondera,*

***Serendam** agris vè das inertibus?*

*Tuis bonis scio ariibus*

*Sacer micabit ordo diligens,*

*Scholam nec inscius reget.*

*L, mq;*

*PETRUS LAURPECCHIUS.*

*Impia,*

**I**mpia Roma suas miseratur moesta ruinas,  
Clarus Evangelij rutilat dum Phœbus in orbe.  
O meretrix! vendas fumos & basia figas  
Lurida! Si qua fiet pulchro formosior ore,  
Nulla est, Penelopen quin malit se ipsa fa-  
teri;

Atque procis spuriam turpi concedere nocte,  
Has regis in Gothiâ Reverende Antistes habe-  
nas;

Has moderâre vias, ut nemo è glandibus escam  
Exoptet; gravidis undant ubi messibus arva,  
Semina cœlestis nam sunt mysteria Verbi;  
Est Cor ager: quò fecundantia semina cultu,  
O Sacer Antistes! reverenda industria spargit.  
Hinc homo, Pontifici qui servis mente, facessas!  
O Calvine! Deos rabiem, deliria, Somnos  
Qui clamas; apage hinc! Stygias penetrato pa-  
ludes!

PETRUS MEDELINUS.

*Omnia*

**O**Mnia Circus habet; regit undiq; Circulus orbem,  
Ac paribus spatijs res redeuntq; & eunt.

Flamma urat Vestam cum sublunaribus bisce!

Reddere se caelo nititur ipsa tamen.

Oceano referuntq; vices quia Flumina, debent

Ortum Neptuno forsitan illa suum.

Ecce Creaturas! Nascuntur, demoriuntur:

Qualibet in cunas labier ecce suas!


Haud aliter dicas de Te, Dignissime Præsul:

Fœta rudimentis fructibus ipse beas.

Sis Felix doveo & nobisq; Tibiq; Superstes!

Et vivas Pylj tempora sera senis!

JOHANNES NORRÆUS:



**Q**uicquid habet pretium stolidus miratur a-  
varus:

Aurum Mida suum laudat in exitium.

Unum miramur nos Te virtutis in arvo

Sudantem, fortes suspicimusque Tuas.

B

Lector

Lector eras & Pastor eras: sed Episcopus inde  
Castra & Calmariam visere dignus eras.

En! recipis Mystam Lincopia sedibus almis:

Huncce Dioecesis tu venerare Patrem.

Rumpas Clere moras, hilari conamine certans;

Adsis Huic studijs officijsq; Viro!

Cætera vive Tuis prosper nobisq; Tibique!

Vive diu felix, vive diuq; bonus!

LAURENTIUS SEMINANDER.



Conscribant alij volitanti carmine plausus:

Promptior in studium sed properabo meum.

Cedat honor Patrio decori, quod Episcopus audis!

Et longum vigeas sortibus hisce Tuis!

Fausta sub imperio vivas Ecclesia sacro!

Spires antiquis floribus atq; Schola!

Ausibus inde Tuis successus apprecor æquos;

Æternum vigeas ô Reverende Pater!

NICOLAUS O. DRETZENIUS,

Quæ

Quæ Ganges aut Indus habent, in munera mit-  
tunt

Reges magnifici: Regius ille decor.

Simplicius mitto votum: nam *missibus* illis

Placari Divos certius esse reor,

Prospera tot voveo supplex, Amplissime Præsul;

Cærule quot pisces spero natare vada.

Guttæ quot Nili, vel arenæ quanta Lybissæ

Copia; Fauſta Tibi tot precor & voveo.

LAURENTIUS J. Serling.



*Utavos Turcos laudavit Svecia pridem:*

Sed laudat Sanctos hæcce moderna dies.


Horum cum censu stares Amplissime Præsul,

Insula sacratas necit utringq; comas.

Hunc, perquam Reverende Pater, Tibi grator honorem

Sis felix Patriæ, perpetuoq; vige!

SIMON L. HULTENIUS.



Præclara est virtus; Præclaros reddit amantes:

Eximia est virtus; præstat & Eximios.

Fers utrumq; decus Dignissime Episcopo; virtus

Præclarum fecit, fecit & Eximium.

Quare vota Tuis successibus hæc superaddo:

Omnia cæpta Tibi Fauſta Jehova velit!

LAURENTIUS O. NORCOPENSIS.

**L**ongius accerso quid Carmina dulcia? Praeox  
Expedit votum; sufficietq; mihi.  
Fortunatum igitur, Felix Faustumq; Bonumq;  
Hoc tibi contingat, cernuus opto, decus!  
Nestorea attingas & Mathusalemica lustra!  
Esto Tibi Felix, Faustus & esto Tuus!

ANDREAS E. HESTADIUS.



**A**ddere nil possum, Dignissime Praesul, honori;  
Adjungam plausus in Tua vota meos,  
Sis Felix, Faustus, Fortunatusq; Bonusq;  
Antistes! Flore, Vive vigeq; diu!

BENEDICTUS J. MOLLERUS.

